



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De præbendis & dignitatibus. Consilium CCXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98691](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98691)

tiationis, quæ sit ex antecedente mandato, non invenitur constituens jus in re habere, *velin. in c. Ex parte Decani nu. 16. limitat. 2. De rescript. Et sic in proposito potior est realis renuntiatio, quam F. Ioannes Bourgeois de hoc litigioso Prioratu fecit, quàm sequens resignatio ad opus Rei facta virtute alicujus prioris mandati, si tale aliquod fuisset, prout non, quia de eo non constat aut apparet, l. si in emptione De contrah. empt. Concludimus ergo hunc Prioratum cum fructibus Actori adjudicandum esse secundum conclusionem pro ipsius parte in hac causa propositam.*

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

Petitorium in concursu ex Apostolica & turnaria provisione. Pij II. indultum, datum Episcopo Leodiensi & ejus Dioecesis ordinariis collatoribus, ut nulla beneficia ejus dioecesis duas saltem marcas argenti non valentia sub expectativis gratijs comprehendantur.

1. Pontifex non planè adimit sibi potestatem, quam alteri concedit.
2. Prohibitio expectativæ gratiæ non extenditur ad collationem ordinariam.
3. Cap. Statutum De præben. lib. 6. intellectus.
4. Manus vapis appositio impedit Ordinarij collationem.
5. Valor beneficij quomodo constituendus.
6. Simoniacum quando sit pro redimenda lite expensasolvere.

CONSILIVM CCXXXIX.

PIVS Secundus Pontifex in anno Domini 1443. Episcopo Leodiensi, alijsque Civitatis & Dioecesis Leodiensis Prælati, ac quibuscumque alijs Ordinarijs quorumcumque beneficiorum Collatoribus, inter alia concessit & voluit, quòd nulli Canonici, præbendæ, dignitates, personatus, officia, aut alia beneficia ecclesiastica Civitatis & Dioecesis Leodiensis, cujuscumque qualitatit fuerint, quæ saltem duas marcas argenti secundum communem estimationem non valent annuatim; sub quibuscumque expectativis gratijs quibuscumque personis per Sedem Apostolicam vel ejus Legatos, sub quavis verborum forma concessis quomodolibet comprehendantur; nec possint prætextu gratiarum hujusmodi acceptiones & provisiones per quemquam fieri de iisdem, sed Ordinarij seu illi ad quos illorum spectat collatio, provisio, seu quævis alia dispositio, liberè de illis disponere valeant; etiam in quocumque mense vacaverint. Quibus Collatoribus antea tam per Eugenium Quartum, quàm per Concordatæ Nationis Germanicæ cum Sede Apostolica inita concessum fuit, ut cujuscumque qualitatit & valoris beneficia in sex alternatis mensibus, videlicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri liberè conferre possent, nec valerent aliter super sic vacantibus beneficijs per Papam factæ provisiones alijs sex mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, in quibus

vacantia beneficia conferre non possent dicti Ordinarij Collatores. Ex facto accidit, quòd in mense Ianuario anno 1573. per mortem D. Petri Baneldi vacaverit in Ecclesia Buscoducensi (quæ olim Leodiensi Dioecesi fuit subdita) Capellania in honorem nominis Iesu fundata, cujus redditus annui valorem viginti quatuor florenorum regionum Belgicarum non excedunt: de qua Dominus Iudocus de Clermont sibi in mense Aprili sequente providere fecit per mandatum Apostolicum directum Reverendissimo Episcopo Leodiensi, qui ad executionem hujusmodi mandati procedendo, adhibitis omnibus requisitis dicto Domino Iudoco providit mense Septembris ejusdem anni 1573. Qui verò in dicto mense Ianuario in turno fuerat conferendi beneficia ad Capitulum Ecclesiæ Buscoducensis pertinentia (inter quæ est hæc Capellania) prima mensis Julij contulit eandem Antonio de Lanckvelt.

Queritur inde, quis in obtinendo & retinendo hoc beneficium sit potior? Et paucis, ommissa multorum argumentorum collatione dicimus, Pontificiam collationem seu provisionem, quam D. Iudocus obtinuit, priorem esse: idè quod vacaverit in mense Ianuario, qui alternorum mensium Sedi Apostolicæ per dictam Concordatæ Nationis Germanicæ Ordinarijs Collatoribus per totum Imperium, & per specialem bullam dicti Eugenij Quarti Ordinarijs Collatoribus Dioecesis Leodiensis concessum, reservatum prius est; & sic in eo hoc vacans beneficium per alium, quàm per Sedem Apostolicam conferri non potuerit, & facta per dictum turnarium collatio censi debeat ipso jure nulla & irrita, *cap. 2. c. si beneficia c. si Apostolica De præben. lib. 6.*

Nec quicquam facit dictæ Piane Bullæ restrictio: nam per illam Pontifex non præcipit sibi potestatem conferendi, providendi, seu mandandi, ut provideatur in sibi reservatis mensibus, sed tantum restringit & limitat incidentem illam reservationem, ut per expectativas seu præventivas gratias Ordinarij Collatorum reservatis mensibus impediri non possit, quoad beneficia tantilli valoris; non etiam hoc disponitur, ut Pontifex per simplicem provisionem seu collationem, aut mandatum de providendo seu conferendo non possit disponere, non dico de vacaturis sed vacantibus in illis alternatis mensibus beneficijs. * Neque enim cum Pontifex alicui seu aliquibus concedit facultatem conferendi beneficia, sibi illam omninò adimit saltem, ut illum seu illos prævenire possit in vacante beneficio, *c. Dudum De præben. lib. 6.* † Neque etiam prohibitis expectativis & præventivis gratijs quoad vacatura, censetur quoque prohibita præventio per ordinariam viam; cum omnium beneficiorum ecclesiasticorum dispositio in manu Pontificis sit, *Clem. 1. Valued. c. c.* ‡ Atque hinc est quod Gregorij Decimi constitutionem, *in c. Statutum De præben. lib. 6.* limitans & restringens Clementis Quarti statutum, in d. c. 2. De præben. lib. 6. quo reservavit Sedi Apostolicæ beneficia vacantia in Curia, ut scilicet reservatio non daret nisi uno mense à die vacantis in Curia beneficij, & quòd eo mense lapsò Ordinarij Collatores

latores illa conferre valeant, sic interpretetur Glossa, in d. c. Statutum in verb. per seipsum vers. Papa enim, ut post mensem illum Papa etiam conferre possit, si velit, quamdiu res integra est, hoc est quamdiu Ordinarii intra tempus à jure præfixum non contulerunt; & sic restrictio ad mensem non hoc operatur, quasi post mensem omnimodo excludatur Pontifex, ut conferre non possit, sed hoc tantum (inquit Petrus Ancharanus, in d. c. Statutum in princ.) ut post hunc mensem magis Ordinariis ulterius non censeantur ligata: quâ restrictione non interveniente, perpetuo mansissent ligata. Ita ut Turnarius sibi imputare debeat, cum hoc beneficium, si minus est duabus maris argenti, statim non contulerit & Pontificem prævenire passus sit; non per exspectativam & præventivam in futuram gratiam, sed per præsentem provisionem, seu per mandatum de providendo, quod provisioni adæquat; cuius generis gratia seu bulla Piana non continetur.

Nec in consideratione habendum, quod Dominus Antonius ex collatione hujusmodi Turnarii prior fuerit in possessione: * nam cum ea collatio sit notoriè nulla, tamquam ab eo facta, qui conferendi jus tunc non habuit, l. si filius tuus C. de donat. propter appositionem manus Pontificiæ ad hoc beneficium (eo enim ipso, quod Papa vel per nudam supplicationem, vel per nudam signaturam apponit manum ad aliquod beneficium, in quo alteri jus acquisitum nondum est, censetur alij cuicumque ademisse potestatem super eo, etiam si provisio Papæ esset aliquo modo nulliter, vel vitiosè facta, cap. vi nostrum c. vi de bitus de appell. c. Inter dilectos & ibi Panor. de excess. Prælat. Paul. Paris. consil. 47. Videtur nu. 39. vol. 4. Areyus de ralconibus in tract. de reservat. in prælatu & quæst. 4. 16. effect.) consequens est, quod virtute illius apprehensa seu acquisita possessio sit ipso jure nulla; quia in beneficiis possessio sine titulo esse nequit, c. 2. vi lre pend. lib. 6. & reservatio seu appositio manus inficit & vitiat nedum titulum sed etiam possessionem beneficii aliter obtenti, c. Si eo tempore de elect. lib. 6. d. c. vi nostrum, Rota decis. 16. Si contra agentem, alias est 3. De resistit. spoliat. in novis.

Proinde nec curandum, quod Domino Ludoco primum provisum sit per Episcopum in mense Septembri; quia Episcopi provisio, cum sit executio mandati de providendo, ad tempus mandati trahi debet: prout etiam communiter verba Bullæ de providendo de certo vacante beneficio sic accipi debent, ut ex eo die incipiat jus acquirere, qui hujusmodi mandatum obtinet, non tunc primum, cum facto examine & disquisitione personæ Episcopus mandatum exequitur; sicut verba bullæ apertè demonstrant. Et in omnem eventum dicta appositio manus Pontificiæ ante collationem Turnarii, rationem prioritatis tollit propter nullitatem hujusmodi collationis per Turnarium factæ; ut paulo antè dictum est.

Quamvis etiam aliquo modo dubitari posset, num hoc beneficium excedat taxam in Piana bulla præscriptam? Nam duæ maris argenti (non dico puri, quia bulla id non habet) conficiunt

Cons. Wamcl. Tom. I.

tantum decem ducatos de Camera, qui non pertingunt ad summam viginti quatuor florenorum, Lud. Gomez. ad reg. Cancell. Apost. de valore exprim. q. 9. nu. 6. & pro valore beneficii id reputatur, quod beneficio proprium est, & non in manualibus seu quotidianis distributionibus, sed in grosso seu certo corpore sive fundorum sive reddituum consistit; oneribus non ipsius officij, quod beneficio incumbit, & propter quod datur beneficium, sed exterius deductis, Gomez. ad d. regul. quæst. 12. Interim propter modicum excessum, & variationem temporum in eo non multum insistimus. * Proinde, consulimus Antonio, ut propter hoc beneficium litem periculosam non sustineat; sed vel ultro desistat, vel cum adversario pacifatur, quoad expensas quidem factas liberius, quas Dominus Ludocus pro redimenda vexatione sine vitio simoniæ, refundere poterit, maxime ex auctoritate Iudicis, quia eo modo nihil juris acquirit; sed quoad ulteriorem aliquam compositionem non video quomodo id sine simoniaca labe fieri posset nisi accedente Pontificis auctoritate, ut eleganter tradit Panormitanus, in c. Cum pridem de pactis nu. 8.

De præbendis & dignitatibus.

S V M M A R I U M.

In indulto Nominationis Facultatis Artium in Universitate Lovanensi quo sensu accipienda calusula: *vitæ & Prælatûræ duranti.*

Biennium, post quod posterior nominatus ad collationes Prælati, habentis jus omni mense conferendi, acceptare potest ex placito Caroli V. quando decurrere incipiat.

1. Prælati appellatione venit Prælatûra.
2. Prælati successor tenetur ad ea, quæ præcessor præstare tenebatur.
3. Gratia expectativa vel nominatio directâ ad Prælatum transit in successorem.
4. Abbati legatum an ad successorem in Abbatis pertineat.
5. Verborum Vita Prælatûræ & administrationis eorum duranti sensus.
6. Prælatûra vacante beneficiorum collatio non devolvitur ad Capitulum.
7. Capitulum sede vacante conferre debet beneficia, quibus Prælatûs deberet.

CONSILIVM CCXL.

BVILLA Leonis Decimi Papæ permittit Decano & alijs deputatis Facultatis Artium in Universitate Lovanensi singulis Prælati & personis Ecclesiasticis in terris temporalis dominij Regiæ Catholicæ Majestatis in inferioribus Belgij regionibus, dispositionem qualemcumque beneficiorum Ecclesiasticorum habentibus, *vis seu dualis distinctis vicibus, vitæ & Prælatûræ & administratione eorum duranti nominare unum ex Magistris in Artibus.* In permissione usu Bullæ illius Carolus Quintus Imperator modificando executionem

P p

restrinxit.